

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Martini Chemnitii, Doctoris Theologi celeberrimi, Harmonia Quatuor Evangelistarum

Quam ab Eodem feliciter inchoatam ... D. Polycarpus Lyserus, et D.
Johannes Gerhardus, ... Is quidem continuavit, Hic perfecit ; Opus
Eruditionis Stupendæ, Orthodoxorum consensu approbatum, idemque tot
Eruditorum desideriis adhuc expetitur

**Chemnitz, Martin
Leyser, Polycarp
Gerhard, Johann**

Hamburgi, MDCCIII

VD18 90617681

Caput CXXXIII. Continens Historiam, Quomodo Maria Et Martha Nunciarint
Christo Fratrem Lazarum Aegrotare. Joh. 11. v. 1.

urn:nbn:de:gbv:45:1-18203

CAPUT CXXXIII.

CONTINENS HISTORIAM, QUOMODO MARIA
ET MARTHA NUNCIARINT CHRISTO FRA-
TREM LAZARUM ÆGROTARE.

JOH. II. V. I.

RATIO ORDINIS.

Non extat in toto codice Evangelico jucundior historia, quæ pluribus doctrinis & consolationibus abundet, quam hæc de Lazaro redivivo. Quapropter omnibus piis mentibus exactè nota esse debet, ut ex ea, tam in vita doctrinas, quam in morte solidas consolationes haurire possint. Hujus autem præstantissimæ historiæ primæ parti hunc locum attribuere cogimur: quia, ut ex sequentibus liquido patebit, quæ tres Evangelistæ, Matthæus, Marcus & Lucas parabolæ de vinea subjunkerunt, pertinent ad illam perfectionem, qua Christus ex Petrà Bethaniam venit, & quam intra biduum absolvit. Si quis tamen velit hanc primam hujus historiæ partem subungere disputationi Phariseorum de divortio, & prætermittere benedictioni parvulorum, quia Christus accepto nuncio de morbo Lazari,

mansit in eodem loco duobus diebus; ut sic biduo illi attribuantur, quæ in proximis tribus capitibus tractavimus, illi Ego non multum refragabor. Nam ex Evangelistarum descriptionibus hoc observare licet: quod in tribus annis ministerii Christi tantum præcipuas historias, conciones, miracula annotarint, quæ in singulis annis acciderunt. Postquam autem propè ad passionem perventum est, consignarunt, quid singulis diebus acciderit: in ipsa vero passione etiam secundum horas historiæ ordinarunt, ut sic diligentiam suam Christiano orbi probarent. Cum que admodum propè ad historiæ passionis accesserimus, non inconcinne possent illæ tres historiæ & conciones illi biduo, quo adhuc Christus in illo loco commoratus est, attribui. Nos tamen, ne historia ipsa nimis procul ab invicem distraheretur, primam partem huc reponere maluimus.

MARIA ET MARTHA CHRISTO NUNCIANT, FRA-
TREM LAZARUM ÆGROTARE.

JOHAN. II.

- | | |
|--|--|
| <p>1. Ἦν δὲ τις ἀδελφῶν λέζαροῦ ἀπὸ βηθανίας, ἐκ τῶ κώμας μαρίας καὶ μαρθῆς τῆς ἀδελφῆς αὐτῆς.</p> <p>2. Ἦν ἡ μαρία ἡ ἀλείψασα τὸν κύριον μύρω. καὶ ἐκμάχασα τὴν πόδα αὐτοῦ ταῖς θριξίν αὐτῆς, ἧς ὁ ἀδελφὸς λέζαροῦ ἡδυνεί.</p> <p>3. Ἀπέστειλαν ἐν αἰ ἀδελφαὶ αὐτῶ πρὸς αὐτὸν, λέγονσαι, κύριε ἴδε, ὃν φιλεῖς, ἀδυνεί.</p> <p>4. Ἀκούσας ἡ ὁ ἰησοῦς, εἶπεν, αὐτῆ ἡ ἀδυνεία ἐκ θῆσας ἵνα ζῆται, ἀλλ' ὑπερτὸ δόξης τῆς θεῶ. ἵνα δοξασθῆ ὁ υἱὸς τοῦ θεῶ δι' αὐτῆ.</p> <p>5. Ἦραπα ἡ ἰησοῦς τὴν μαρθῆν, καὶ τὴν ἀδελφὴν αὐτῆ, καὶ τὸν λέζαρον.</p> <p>6. Ὡς ἐν ἠκούσεν ὅτι ἀδυνεί, τότε μὲν ἔμεινεν, ἐν ὧ ἡμερῶ δύο.</p> <p>7. Ἐπειὶα μετὰ τῶ λέγει τοῖς μαθηταῖς, ἄγομεν εἰς τὴν ἰουδαίαν πάλιν.</p> <p>8. Λέγουσιν αὐτῶ οἱ μαθηταί, ῥαββί νυν ἐζήτην σε λιθάσαι οἱ ἰουδαῖοι, καὶ πάλιν ὑπάγῃς ἐκεῖ;</p> <p>9. Ἀπεκρίθη ὁ ἰησοῦς, ἐχὶ δώδεκά εἰσιν ὥραι τῆς ἡμέρας; ἐάν τις ὠκεπατεῖ ἐν τῆ ἡμέρῃ, ἔσῃ ὠκεσκόπη, ὅτι ὁ φῶς τῆς κοσμοῦ τότε ἔλεπει.</p> <p>10. Ἐάν δὲ τις ὠκεπατεῖ ἐν τῆ νυκτῆ, ὠκεσκόπη, ὅτι ὁ φῶς ἐκ ἐστὶν ἐν αὐτῶ.</p> <p>11. Ταῦτα εἶπε, καὶ μετὰ τῶ λέγει αὐτοῖς, λέζαροῦ ὁ</p> | <p>1. Ægrotabat autem quidam nomine Lazarus Bethaniensis, à castello Mariæ & Marthe hujus sororis.</p> <p>2. Maria autem erat ea qua unxit Dominum unguento, & extersit pedes ejus capillis suis, cujus frater Lazarus ægrotabat.</p> <p>3. Miserunt ergo sorores ejus ad eum, dicentes, Domine, vide, quem amas, ægrotat.</p> <p>4. Audiens autem Jesus, dixit, infirmitas hæc non est ad mortem, sed pro gloria Dei, ut glorificetur filius Dei per eam.</p> <p>5. Diligebat autem Jesus Martham, & sororem ejus & Lazarum.</p> <p>6. Ut ergo audivit, quod ægrotaret, tum quidem temporis mansit in eodem loco, quo erat duobus diebus.</p> <p>7. Deinde post hoc dicit discipulis: Eamus in judæam iterum.</p> <p>8. Dicunt ei discipuli, Rabbi, modo querebant te Judei lapidare, & iterum vadis illuc?</p> <p>9. Respondit Jesus, Nonne duodecim sunt horæ diei? Si quis ambulaverit in die, non offendit, quia lucem hujus mundi videt.</p> <p>10. Si quis autem ambulaverit in nocte, offendit, quia lux non est in eo.</p> <p>11. Hæc ait, & post hæc dicit eis, Lazarus amicus</p> |
|--|--|

φίλος

- Φίλῳ ἡμῶν κοιμήται, ἀλλὰ πορεύομαι, ἵνα ἐ-
ξυπνήσω αὐτὸν.
21. Εἶπον ἔν οι μαθηταὶ αὐτῷ, κύριε, εἰ κοιμήται, ὡ-
σθίσεται.
13. Εἶρηκεὶ δὲ ὁ ἰησοῦς περὶ τῆς θανάτου αὐτῷ, ἐκείνοι δὲ
ἐδοξάν ὅτι περὶ τῆς κοιμήσεως ἔσπνε λέγει.
14. Τότε ἔν εἶπεν αὐτοῖς ὁ ἰησοῦς παρήσια, λαζάρῳ ὁ ἀ-
πέθανε.
15. Καὶ χαίρω δι' ὑμᾶς, ἵνα πιστεύσητε, ὅτι ἐκ ἡμῶν ἐκεί,
ἀλλ' ἀγωμεν πρὸς αὐτὸν.
16. Εἶπεν ἔν θωμᾶς ὁ λεγόμενος διδύμος, τοῖς μαθη-
ταῖς, ἀγωμεν καὶ ἡμεῖς, ἵνα ἀποθάνωμεν μετὰ αὐτῷ.

- noster dormit, sed vado, ut à somno excitem
eum.
12. Dixerunt ergo discipuli ejus, Domine, si dormit,
salvus erit.
13. Dixerat autem Jesus de morte ejus, ac illi
putaverunt, quod de dormitatione somni di-
ceret.
14. Tunc ergo Jesus dixit eis manifestè, Lazarus
mortuus est.
15. Et gaudio propter vos, ut credatis, quod non fue-
rim ibi. Sed eamus ad eum.
16. Dixit ergo Thomas qui dicitur Didymus, ad di-
scipulos, Eamus & nos ut moriamur cum eo.

Exegetis hujus Historia.

Evangelista præmittit brevem descriptionem Lazari, vocat eum λαζάρου τοῦ βηθανίου, Lazarum de Bethania. Bethania autem vocatur Castellum Maria & Marthe, quò sensu non satis liquet: an forores illæ fuerint Domine illius vici & castelli: an verò saltem inde oriundæ, atque ibi habitarint? sicuti Bethsaida Joh. 1. v. 23. civitas Andree & Petri dicitur, eo quod inde essent oriundi. Quanquam verò similis sit illud prius: siquidem ex omnibus circumstantiis manifestum est, magnam fuisse hujus familiæ existimationem apud Judæos Hierosolymitanos. Quia verò plures fæminæ in Evangelio inveniuntur, quibus inditum fuit nomen Maria: ideò Evangelista differentiæ causa addit: Maria autem erat ea que unxit Dominum unguento. Ubi non intelligenda est illa unctio, quam habuimus supra Cap. LVII. Harmoniæ, ex Luca cap. 7. v. 36. sed illa, quam habiturum infra ex Joanne cap. 12. v. 3. Tres enim unctioes fuisse supra indicatum est. Ad hanc familiam etiam Christus divertit Luc. 10. v. 38. cum à Judæis primum lapidibus ex templo expulsus fuisset. Joh. 8. v. ult. Ita ut satis arcta familiaritas intercesserit inter Christum & hanc familiam, quæ etiam fecit, ut ablegato nuncio ad Christum in Petram ipsi fratris morbum significari curarint. Ipse forores Dominum non adierunt, non ex neglectu & contemptu aliquo, sed quia inhumanum fuisset, fratrem ad mortem usque decumbentem domi sine cura deserere: cui accedebat magna fiducia, quam dudum ex Christi benignitate conceperant. Ideò etiam paucis verbis legationem absolvent: Domine, vide quem amas, egrotat. Hic parumper subsistemus, & doctrinas inspiciemus.

1. Ante omnia attendenda hæc verba: Domine, quem amas, quæ nos & omnes Christianos excitare debent, ut & nos omnes actiones & conversationem sic instituamus, ut Christus nos amet, & sit noster, (ut ipse infra hoc vocabulo utitur) noster amicus. Nam quem Deus diligit, & qui hunc sibi amicum parat, is in omnibus adversitatibus & necessitatibus tutum habet asyllum, ex quo consilium, auxilium, consolationem expectare potest. Quid verò faciendum, ut Christum amicum paremus? Intueamur Lazarum & sorores, easque imitemur. Fuerunt seduli auditores & amatores verbi Dei, imprimis Maria: juxta ipsius verbum

Harm. Tom. I.

honestè vitam suam instituerunt: Christum ejusque discipulos, ut modo dictum est, hospitio exceperunt, ipsisque benefecerunt. De auditu verbi ipse Christus dicit, Joan. 14. v. 2. 3. Si quis diligit me, sermonem meum servabit, & Pater meus diliget eum, & ad ipsum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. Cumque Matth. 12. v. 48. mater, fratres & sorores ipsum è concione evocarent protensa manu super auditores, dixit: Ecce mater mea & fratres mei. De observatione sui verbi, dicit Joh. 15. v. 14. Vos amici mei estis, si feceritis, quæ Ego præcipio vobis. Et mox rursus: Vos dixi amicos: quia omnia quæcumque audivi à Patre meo, nota feci vobis. Itaque quando Christus per prædicatum verbum Evangelii nobis cælestis sui Patris voluntatem aperit, illam attendamus, & juxta illam vitam nostram instituamus. Nam beati qui verbum Dei audiunt, & custodiunt illud. Luc. 11. v. 28. Et Joh. 8. v. 52. dicit Christus: si quis sermonem meum servaverit, mortem non videbit in æternum. De operibus beneficiæ erga Christum, & postquam nunc in cælos migravit, erga pauperes ipsius fratres, nuper audivimus Luc. 16. 9. facite vobis amicos, de mammona iniquitatis. Et quicquid talibus egentibus Christi membris sit, illud Christus in novissimo die sibi factum reputabit. Matth. 25. v. 40. Hoc complexus est Joh. 13. v. 34. hoc dicto: Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem: sicut dilexi vos &c.

2. Discamus etiam hinc, quænam sit fortuna dilectorum Dei filiorum & Christi amicorum in hac vita. Mundus opinatur, iis, quos Deus diligit, nihil adversi accidere posse, sicut etiam ipse fatanas Deo objicit Job. 1. v. 10. quod Jobum & ipsius domum circumvallavit, ut nuspian ipsi nocere possit. Et Matt. 4. v. 3. Christo dicit: si es filius Dei, fac hoc: fac illud: precipita te deorsum, non potes damno affici: quia angelis de te mandatum est. Hæc etiam sunt mundi cogitationes de piis: sed de Lazaro hic diversum audimus. Sorores enim Christo nunciant: vide, quem amas, egrotat: & quidem ita egrotavit, ut tandem amara mors ipsum rapuerit. Interim miseræ sorores, quas & ipsas Dominus diligebat, versantur in summo luctu ob morbum unici & dilectissimi fratris, qui hæctenus consilio ipsas juvit: unde nuncium ablegant ad Christum, ut ille rebus afflictis auxilio sub-

Aaaaaa 2

venire

Venire velit. Sed antequam nuncijs revertatur frater mortuus, ut jam de omni spe sit actum, quod plurimis lachrymis deplorarunt, ut postea audiemus. Hæc ergo est vera imago fortunæ Christianorum in hac vita. De voluptatibus, lætitiis, firma valetudine, & læta fortuna non multum sibi polliceri possunt: sed morbi, crux, luctus miseria & afflictiones, sunt quotidiani ipsorum hospites. Ita ut verus Christianus cum Asapho ex Psal. 73. v. 14. dicere possit: Ego flagellatus fui tota die & castigatio mea in matutinis. Sed hæc non nimium nos contristent: quia scimus, quod per multas tribulationes oporteat nos ingredi in regnum Dei. Actor. 14. v. 21. Hoc modo conformes reddimur imagini Christi. Rom. 8. v. 29. Et certum est: Si una commortui fuerimus, etiam convivemus: & si sustinerimus conregnabimus. 2. Tim. 2. v. 11.

3. In cruce, morbis & adversitatibus quid facere, quonam nos convertere debemus? Hoc etiam docent sorores Lazari, quæ mittunt ad Jesum, eiq; fratris morbum nunciari curant. Admonent etiam Dominum Jesum amicitia *quem amas*, & pacti, quod inter Christum & discipulos ejus viget, atque sperant ipsum non diu emanurum, sed manum medicam morbo adhibiturum. Hanc artem etiam nos discamus, ut in omnibus nostris necessitatibus non alio confugiamus, quam ad Christum Jesum, huic nostras curas & sollicitudines ardentibus precibus commendemus, nec dubitemus, quin, si ad ipsius gloriam & nostram salutem serviat, nobis opem sit laturus. Et hic ipsum quoque commonefaciamus amicitia & pacti, quod cum ipso habemus. In baptismo enim facta est stipulatio bonæ conscientia. 1. Petr. 3. v. 21. quam postea morte sua confirmavit, quod nunquam nos deserere velit. Si hoc fecerimus, eventus felix, sicut apud hæc sorores, subsequetur. Est enim interdum auxilium suum, certas & justas ob causas, differt: fieri tamen nequit, quin tandem preces, firma fiducia erga ipsum conceptas & fufas, exaudiat, sic enim promissit Psalm. 50. v. 15. Invoca me in die tribulationis, & ego eruam te, & tu glorificabis me. Et Psalm. 102. v. 18. Respexit Deus in orationem humilium: & non sprevit preces eorum.

4. Attendenda est etiam forma legationis & precationis duarum harum sororum, quæ simplex est & brevis, nihil præterquam Lazari morbum & sororum sollicitudinem Domino proponens. *Domine, vide, quem amas, egrotat.* Nihil Domino præscribunt, nullas rationes adducunt, cur ipsis subvenire debeat. Sufficit ipsis, si Domino suam necessitatem proposuerint, ipse tam potens est, ut momentum & media juvandi etiam sine ipsorum monitionibus invenire possit: tam benignus etiam est, ut velit iuvare, etiam citra prolixam persuasionem. Rectè ergo Augustinus dixit: sufficit ut noveris, non enim amas, & deseris, sic & nobis sufficiat in nostris morbis adversitatibus & angustiis, ut Deo nostro paucis verbis, quæ non necessitates urgent, proponamus, animi nostri ægritudinem in paternam ipsius sinum exoneremus, nihil postea præscribamus, sed tantum patienter & placide ipsius opem expectemus. Ipse faciet. Exemplum desume ex humanis. Si *αὐτὸν ἴδῃς* cuius-

dam, & boni parentis probus filius in puteum incidisset, illudque parenti referes, ibi non opus foret multas rationes recensere, quibus pater moveretur, ut filio in præsentis periculo constituto subveniret, naturalis *σὺ γὰρ* & paterna affectio patrem stimulatūræ essent, ut incunctanter ad opem filio ferendam accederet: si hoc mundani patres faciunt, quid non faceret cælestis, Pater, qui *σὺ γὰρ* illas naturales hominum animis implantavit, ut ex iis aliquo modo agnosceremus, qualiter cælestis Pater erga nos sit affectus? Quemadmodum enim Pater miseretur filiorum: sic Dominus miseretur timentium se. Psalm. 103. v. 13. Imò ut mater miseretur filii uteri sui, qui affectus adhuc tenerior est: ita Deus nostri miseretur. Isa. 49. 15. Hujus ergo clementi & paternæ voluntati nostras curas resignemus. Ipse nobis non deerit.

II. Audiamus, quid responsi Christus nuncio sororum Lazari dederit: in eo Christus nobis monstrabit Dei morem, quem servare solent, quando suis vult succurrere. Præcipit nobis in Psal. 50. v. 15. ut ipsum in die tribulationis invocemus, & promittit tum exauditionem tum liberationem. Sed quoad liberationem hunc morem observare solet, ut auxilium aliquantisper differat, & sub ipsis precibus necessitatem atque angustias crescere sinat, sicuti id in præsentis exemplo videmus. Nam postquam Christus audivit, Lazarum amicum suum agrotare, non statim surgit & recta ad eum properat, sed *mansit in eodem loco, in quo erat duobus diebus.* Et quod plus est, nuncio dicit: *infirmus hæc non est ad mortem, sed pro gloria Dei, ut glorificetur filius Dei per eam.* His verbis solatus est nuncium, & per ipsum etiam sorores Lazari. Sed interim antequam nuncijs domum revertitur, Lazarus moritur: & quidem pro ut supputare licet, eo ipso tempore, quo Christus hæc dixit. Hic tumultuatur ratio, & graviter conqueritur: hæc enim est amicitia Christi, sic negligere amicum ad mortem usque decumbentem? atque insuper miseris sorores bonis verbis vana spe lactare, non esse infirmitatem ad mortem; cum tamen mors eo ipso momento cum superet. Ne ergo ob hanc moram quis de amore Christi erga has sorores dubitet, Evangelista lectorum animos præmunis, interserens: *Diligebat autem Jesus Abraham, & sororem, & Lazarum.* Non ergo piorum infirmitates semper sunt iræ divinæ indicia: sed sæpe in iis Deus impentibus exemplum proponit, ut cogitent: si hoc fit in viridi ligno, quid futurum in arido? si etiam quis piorum a Deo chronico & diuturno morbo detineatur, non gravatim id ferat, nec se a Deo negligi putet. Ipse est adjutor in opportunitatibus: & justo tempore veniens venit, nec tardabit. Interim Dominus Jesus sorores Lazari non vana spe lactavit, nec fictis verbis consolatus est. Nam utique fratris *infirmus non erat ad mortem, scilicet talem, qualem sorores sibi imaginabantur, & in qua Lazarus perpetuo detineretur.* Et si finem totius historie inspiciamus, quod nimirum quadriduanus resurrexit, ipsi dicemus, non fuisse immissam ægritudinem ad mortem: sed *pro gloria Dei, & imprimis ut filius Dei per eam glorificetur.* Etenim si maxime Christus agro assedisset, eumque ex morbo liberasset: aut si, quamprimum expirasset, eidem animam rursus inspirasset;

set; tamen nunquam ne centesimam quidem partem tantæ gloriæ & honoris ex miraculo consecutus fuisset, quantum consecutus est, quod Lazarus ipso absente moritur, sepelitur, & in sepulchro fœtere incipit, & tamen à Christo resuscitatur. Nec est dubium, quin Christus celeberrimum hoc miraculum studiose ad hoc tempus, quo ipse mors imminerebat, reservavit, ut sic scandalo crucis & mortis suæ mederetur, & suam post triduum resurrectionem futuram credibiliorem redderet. Quia enim Dominus non tantum recens mortuos suscitavit, sed & eum, qui jam in sepulchro quatrimum erat, credibilem factum est ipsum etiam post triduum resurrectionem, & resurrexisset.

I. Hunc Dei morem observemus, eiq; nos accommodare discamus: ut si quando etiam in nostris adversitatibus auxilium differat, non impatientes reddamur: sed statuamus ipsum iustas suas habere causas, ut fidem nostram probe: ut preces accendat: & tandem, quando his constanter instamus, tanto illustriorem à Deo liberationem impetremus, & consolatio nostra sit tanto efficacior, sicut in Lazaro hic videmus. Is fidei Christo, ejus auxilium per nuncium implorat & expectat tam diu, donec tandem animam exhalat. Hic coram mundo omnis spes & fiducia vana visa fuerunt. Sed vel tandem Domini auxilium ita securum est, ut gloriosum ipsi fuerit non tantum tempore suæ vitæ, sed in hodiernum usque diem. Hunc morem Deus observavit erga omnes sanctos. Abrahamo patri omnium credentium dedit promissionem de benedicto semine: Sed, 25. annos ipsum in suspensio detinet, in senecta demum filium Isaacum ipsi donat. Josephus fuit pius juvenis: cursus autem vitæ ipsius talis fuit, ac si Deus totus ipseus oblitus eisset: tandem tamen post diutinam moram venit Deus, suamque presentiam manifestat, dum ipsum potentem facit principem Egypti: Et si ergo nobis interdum mora admodum diuturna viderur, ut cum Davide ingeminemus illud Ps. 13. v. 1. Usque quo Domine oblivisceris me in finem? Usque quo avertis faciem à me? tamen non reddamur pusillanimes, sed viriliter agamus, & confortetur cor nostrum. Psalm. 31 v. ult. expectemus Dominum: quia licet moram fecerit, tamen veniens veniet & non tardabit. Hab. 2. v. 3: Et si duret à custodia matutina, usque ad noctem: tamen speret Israel in Domino. Ps. 103. v. 6.

2. Illud verò consolatione plenum est, quod Christus de morbo Lazari pronunciat: *infirmus ejus non est ad mortem, sed pro gloria Dei, ut glorificetur filius Dei per eam.* Sic docet, quando Deus nobis immittit morbos & adversitates, atq; in iis nos aliquantisper detinet, quod eo ipso non nostrum exitium vel interitum, sed suam gloriam & ipsorum Christianorum commodum & honorem querat. Vult nos eo deducere, ut nos peccata nostra agnoscamus, seriam poenitentiam agamus, veram fidem exerceamus: ardentem precemur, atque sic Dei gloria apud nos primo promoveatur. Etenim extra crucem, & dum omnia juxta animi nostri voluntatem nobis cadunt, raro illa exercitia apud nos sunt seria. Sed quando crux adest, tunc illa nos urget ad poenitentiam, fidem & preces. Ideo rectè dicit David Psal. 138. v. 36. disciplina

tua ipsa me docebit, Et Esai. 28. v. 19. Vexatio dat intellectum auditui. Et rursus c. 26. v. 16. Domine in angustia requirunt te, & in tribulatione murmuris doctrina tua eis. Et quando, hoc modo Dei gloria primo promotora est, tunc sequitur, quod etiam piorum honor promoveatur: sive id fiat in hoc mundo, sicut factum est cum Jacobo & Josepho, sive id fiat in altero mundo, sicut accedit Lazaro mendico, & eveniet omnibus, qui firma fide Christo adherent. Dominus enim humiliat & exaltat, 1. Sam. 2. v. 7. Et Hanna apud Tobiam c. 3. v. 21. rectè dicit: Hoc pro certo habet omnis, qui te colit, quod vita ejus, si in probatione fuerit, coronabitur: si autem in tribulatione fuerit, liberabitur: & si in corruptione fuerit, ad misericordiam tuam venire licebit. Et Deus ipse promittit, Jer. 31. 13. Ego convertam luctum eorum in gaudium, & consolabor eos, & latificabo à dolore suo.

III. Postquam itaque Dominus sic biduum in Petra subssit, non negligens amicam agrum, sed celebriorem expectans edendi miraculi occasionem, & ut tanto major gloriæ Dei fieret illustratio. Exacto illo biduo dicit discipulis: *Eamus iterum in Judæam.* Hæc vox non mediocriter percussit animos discipulorum. Nam audita voce Judææ, mox sibi in memoriam revocant, se fere nunquam cum Domino in Judæa fuisse, quia non in periculum aliquod incidere. Idem nunc futurum metuunt. Sed ut suum metum tegant, prætexunt se pro Domino sollicitos esse. Rabbi, inquit, modo (Joh. 10. v. 30.) *quererent Judæi te lapidare, & iterum vadis illuc?* Qui amat periculum, in eo peribit. Quapropter si nostrum admittis consilium, abstineas à Judæa, illa tibi fatalis esse viderur.

I. Hic videmus in discipulis humani generis ingenium, quomodo illud erga crucem sit affectu. Quando ex Dei verbo hanc consolationem audimus, quod crux nostra, nostræ afflictiones, persecutiones, pericula ad Dei gloriam & nostram salutem vergant, tum magno animo illa subire, Deo fidere, & omnes tentationes superare debeamus. Hanc consolationem discipuli modo ex Christi ore audierunt: & tamen caro ipsorum horret Christum comitari in Judæam, quia metuunt periculum mortis à Judæis imminere. Sic etiam nos horremus crucem, plus quam Diabolum ipsum, nobisque ipsis persuademus, si tantum à cruce liberi esse possemus, jam nos beatos fore. Et sanè quod caro debilis crucem reformidat & detrectat, mirum non est. Siquidem ipse Dei filius horruit bibere calicem, quem cœlestis Pater ipsi propinavit. Ideo etiam ter eum deprecatus est Matth. 26. v. 39. Pater mi, si possibile est, transeat à me calix iste. Veruntamen non sicut ego volo, sed sicut tu. Caro autem infirma, ex Dei verbo efficaci consolatione erigi debet, ut sciamus in ejusmodi calice crucis non venenum nobis à cœlesti Patre, sed vitam & salutem propinari: feces autem peccatores terra exhaurient. Psalm. 75. v. 9.

2. Christus autem discipulos suos contra hanc pusillanimitatem erigit & solatur, ex doctrina de Providentia Dei. Et docet, non in Judæorum voluntate & potestate positum esse, ut Christo & di-

scipulis noceant, quando velint: sed præesse ipsis sublimiorem potestatem, quæ nefarios ipsorum conatus retardare possit. *Nonne duodecim sunt horæ diei? Si quis ambulaverit in die, non offendit, quia lucem hujus mundi videt. Si quis autem ambulaverit in nocte, offendit, quia lux non est in eo.* Sortitur hæc sententia varias & diversas interpretationes, & earum quasdam satis ineptas: Simplex sensus hic est. Loquitur Christus parabolicè, & vult dicere: *Quemadmodum cœlestis meus Pater cuilibet diei in principio creationis duodecim attribuit horas, uni longiores, alteri breviores, & quicunque in ejusmodi die ambulat, dum Sol adhuc lucet, non offendit, quia videt, quo ambulet, & ubi versetur: Sic idem cœlestis meus Pater cuivis homini suum diem vitæ, & in eo 12. horas, sive breves, sive longas assignavit, & dum ille dies durat, non metuat, quod quicquam adversi ipsi citra Dei voluntatem accidere possit. Sed elapsis illis horis, & quando nox ingruit, tum non amplius mundo fidendum, quia pericula simul incidere possunt. Et quia omnino uniuscujusque dies vel tandem occidit, ubi tempus adesse intellexerimus, non reluctemur voluntati: sed dicamus, fiat voluntas tua Domine, tu dedisti vitam; tu eam auferendi potestatem habes: tu æternam vitam restitues: sit nomen tuum benedictum in secula: Nemo ergo piorum, qui in viis vocationis suæ ambulat, nimium se excruciet ob insidias & odia hostium veritatis: sed si caute egerit & diligenter precatus fuerit, fidat Deo, quod ipsum defensor sit, ne quicquam adversi contra ejus voluntatem ipsi accidat. Nam & capilli capitis nostri numerati sunt. Matt. 10. v. 30. Si verò tum juxta Dei voluntatem & providentiam Dei aliquid adversi nobis accidat, magno animo feramus, scientes quod his qui Deum diligunt, omnia cooperentur in bonum. Rom. 8. v. 38. Nam & quascunque persecutiones, exilia, egestates & similia propter Christum sustinemus, illas ipse abunde compensabit. Interim hæc sit nostra consolatio, quod non est in Dioboli, neque in impii mundi potestate, ut ipsi Solem nobis occidere faciant, quando ipsi volunt: sed hoc in solius Dei manu positum est, is diei duodecim horas attribuit, harum ne unam quidem omnes nostri hostes, contra ipsius voluntatem, nobis eripere possunt. Ipse omnes dies nostros in libro suo annotavit, etiam cum nondum formati essent. Psal. 139. v. 16. ex his homines ne unum quidem delebunt. Job. 14. v. 5. Breves dies hominis sunt, numerus mensium apud te est: constituisti terminos ejus, qui præteriri non poterunt. Sic ergo magnum munimentum consolationis habemus in Providentia Dei. Antequam nati essemus, Deus nobis assignavit non tantum certos dies vitæ, sed etiam quid singulis diebus accidere debeat. O felicem ergo, qui omnem suam curam in Deum jactare discit, ut huic libere committat, quicquid ipsi evenire velit.*

3. Postquam Christus hoc modo discipulos suos animasset, & metum diligenter excussisset, aperit ipsis causam professionis suæ in Judæam: *Lazarus amicus noster dormit, sed vado, ut à somno excitem eum, q. d. Non ascendam in Judæam, ut Judæos disputationibus laceßam, aut concionibus irriterem: sed ut Lazarum, communem nostrum amicum vi-*

*sitem, & à somno excitem. Discipuli voculam somni arripiunt, & quia de naturali dormitione illam intelligunt, mox argumentum inde nectunt, quo Dominum denuo à professione in Judæam avertere conantur. Domine, si dormit, saluus erit: Est enim somnus in gravioribus morbis rediturae sanitatis argumentum. Quid ergo opus est, jam ejus causa iter suscipere? Et quis unquam audivit, quempiam iter bidui instituisse, ut amicum de somno excitaret? Sic semper volunt discipuli, ut suus metus præponderet Christi proposito, At Christus, quod discipulis obscurum erat, apertius explanat, dicens: *Lazarus mortuus est: non autem hic addit ut prius, & ego vado, ut eum resuscitem à mortuis: modestiam in verbis & ipse servans, & eandem nos docens. Sed addit: & gaudeo propter vos, ut credatis, quod non fuerim ibi, sed eamus ad eum.* Latatus Christus se non adfuisse Lazaro morienti, propter discipulos, ut credant, hoc est, ut fides ipsorum crescat, augeatur & confirmetur. Nam utiq; discipuli jam antea credebant, sed ex Christi absentia illa fides augenda erat. Augebatur autem primum ex eo, quod audirent Christum ipsis referre, quæ circa Lazarum acciderunt, etiam nemine nunciante. Deinde augebatur etiam ex eo, quod longè excellentius miraculum est, quatrimum mortuum resuscitare, quam si præsens, vel morbum depulisset, vel modo extinctum resuscitasset.*

Ex his Christi verbis pii primum consolationem hauriant contra mortem. Nam multos non mediocriter angit hæc tentatio, quod cogitant, quid mihi prodest, quod per omnem vitam Christum sequar, Evangelium audiam, & in Christum credam, vel tandem idem finis est, & fidelium & infidelium, sicut & Salomon dicit Eccl. 2. v. 14. Didici, quod unus interitus est sapientis, hoc est, pii & stulti, id est, impii. Et sanè coram oculis mundi res ita se habet, sed non coram Deo. Hic enim Christus satis latum discrimen facit, inter mortem impiorum, & credentium. Quando impii moriuntur, tum in inferno sunt positi, & mors depascit ipsos, ut habet Psal. 49. v. 15. Sed quando credens in Christum moritur, tum Christus dicit: amicus noster dormit. Ethnicis de morte ita senserunt, quod sit finis omnis felicitatis humanæ, & initium æterni interitus. Et sanè in iis, qui extra Christum sunt, hoc verum est, sed qui per fidem Christo sunt implantati, iis mors, quoad animam, ostium & initium est ad æternam felicitatem, quoad corpus autem, hoc requiescit à laboribus suis. Apoc. 14. v. 13. Requiescunt enim iusti in cubilibus suis, ne videant mala, quæ Deus mundo immitit ob impietatem. Jesa. 57. v. 2. Sicut etiam Matt. 9. v. 24. de filia Jairi dixit, quod non mortua sit, sed dormiat. Et sanè mors Christianorum appositissimè somno confertur. Quemadmodum enim mercenarius, quando tota die laboravit, æstum & pondus diei portavit, lætatur, quod appetente vespera fessa membra somno recreare potest, ibi seponit omnes suas curas, nulla sollicitudine cingitur, sed placide & quiete dormit ad sequens usque mane: Sic Christianus, quando moritur, omnes curas & sollicitudines mundanas abjicit, à laboribus suis quiescit, & in Christo Jesu placidissime dormit, usque ad illucescentem diem

diem futuri seculi. Quemadmodum etiam dormiens homo mortuo est similis, qui nihil eorum novit, quæ circa ipsum fiunt, nihil videt, nihil audit, nihil percipit, sed quamprimum nomine suo vocatur, mox evigilat, surgit, & ad munia suæ vocationis redit: sic mortui nihil prorsus rerum mundanarum norunt vel percipiunt, quando autem in novissimo die Christus eos vocaverit, mox excitabuntur, de somno suo surgent, & vitam æternam ingredientur. Vide Joh. 5. v. 25. 1. Cor. 15. v. 51. & 1. Theff. 4. v. 16. Unico verbo Christus revocabit omnes: surgite mortui, venite ad iudicium. Quare nemo mortem metuat, sed potius si fecundam Dei voluntatem ipsi immittatur, lato & placido animo suscipiat, ut qui per eam ad desideratam quietem promoveatur, & ex eadem rursus magna cum gloria resuscitandus sit. Dicit cum Simeone; Luc. 2. v. 29. Nunc dimittis Domine servum tuum, secundum verbum tuum in pace. Idem etiam revocabit servum suum ex morte ad pacem sempiterni seculi.

Deinde etiam hoc in illis Christi verbis probe est observandum, quod Christus de Lazaro mortuo, sepulto, & jam fere computrescente, pronunciat. Lazarus *amicus noster* dormit. Ergo amicitia, quæ nobis cum Christo & aliis fidelibus per fidem intercedit, ne ipsa quidem morte abrumpi vel dissolvi potest. Imo quia per mortem animæ ex ergastulo corporis emissa, ad Christum in æternam vitam transeunt, ideo tum demum recte ipsi convertantur, nec amplius à Deo peregrinantur & exulant, sicut factum est, dum in corpore essent. 1. Corinth. 5. v. 6. Christianorum etiam amicitia ne morte quidem dissolvi debet. In vita autem æterna; quando omnes corrupti & carnales affectus aboliti erunt, ibi demum vera, sincera & incorrupta amicitia inter beatos vigeat. Hæc consideratio in Paulo desiderium illud excitavit, quod Phil. 1. v. 23. dissolvi optat & esse cum Christo. Meminerat enim Christum latroni Luc. 23. vers. 43. dixisse: Hodie mecum eris in paradiso. Hujus considera-

tione etiam nos metum mortis, si illa advenerit, repellamus. Quis enim mori metuat, si cogit se in hoc mundo à multis malis hostibus tanquam scorpionibus liberari, & per mortem ad optimum, fidissimum & beneficentissimum amicum, Jesum Christum, venire?

4. Potuissent hoc sermone Christi ipsius discipuli permoveri, ut citra omnem ulteriorem tergiversationem ipsum in Judæam sequerentur. Sed Thomas Didymus impatientior satis immodeste hæc verba ad reliquos discipulos depromit: *Eamus & nos ut moriamur cum eo*. Beda quidem & alii, hæc Thomæ verba in meliorem partem atq; sic interpretari conantur, quasi reliquos exhortatus fuerit, ut Christum absque metu in Judæam sequerentur. Sed quando quis attendit, quod ubique in Evangelio, quando Thomæ fit mentio, ipsius tarditas & incredulitas sese prodit, quis potest credere, ipsum hoc in loco adeo fortem in fide fuisse? Sensus itaque verborum Thomæ hic est: Optimi collegæ, videtis hunc Jesum, nostrum magistrum, à proposito suo diverti non posse. Omnia enim pro suo arbitrio agit, nec aliorum consilia, utcunque salutaria, admittit: Sed hoc unicum agere videtur, quasi data opera & studiose, cum semetipsum tum nos secum, in exitum præcipitare velit. Quid igitur faciamus: *Eamus & nos, ut moriamur cum eo*, sic finem omnium malorum assequemur. Magna hæc fuit non tam infirmitas, quam immodestia in Thomæ; sed longe major benignitas in Domino, qui hanc tantam imperfectionem in discipulo sine asperiore reprehensione toleravit. Nos ad hoc exemplum Thomæ nequaquam consimiliter peccare discamus. Si tamen ex imbecillitate carnis tale quid nobis accidisset, pœnitentiam agamus & bene speremus, ipsum etiam nobis veniam daturum. Non enim habemus pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris: tentatum autem per omnia pro similitudine absque peccato. Heb. 4. vers. 15.

CAPUT CXXXIV.

IN QUO CHRISTUS ASCENDENS HIEROSOLYMA,
MORTEM SUAM APOSTOLIS PRÆDICIT. MATTH. 20.

VERS. 17. MARC. 10. VERS. 32. ET LUC. 18.

VERSIC. 31.

RATIO ORDINIS.

Vi videre vel intelligere nolit, hanc historiam optimo & rectissimo ordine præcedentem, tum ratione temporis, ob Evangelistarum consentiens testimonium, tum ratione materiam, sequi, illum bardum & stipitem esse oportet. Nam quod modo Apostolis dixerat se in Ju-

dæam iturum, illud nunc actu perficit, atque simul ipsis denunciat amplius quidquam antea; nimirum, non tantum Lazarum se visitaturum, sed mox postea acerba & ignominiosa morte crucis succubiturum: gloriose tamen tertia die resurrecturum.